



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 6. Vtrum opus, per quod satisfactio sit, debeat esse pœnale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

SECTIO VI.

Vtrum opus, per quod satisfactio fit, debeat esse poenale.

tum esse potest: tum quia actus exterior nec formalē bonitatem, nec libertatem habet, nisi per denominationem ab interiori, & hac ratione nō auget meritum: ergo nec satisfaciōnem.

Dico primo, opus internum vel per se sumptum, vel coniunctum cum externo multum valere posse ad satisfaciendum pro poena temporalī. Conclusio non solum communis est: sed etiam certa. Et ratio eius est clara, quia actus interiores sunt optimi, & maxime liberi, & valde difficiles, & homini mortali laboriosi, & poenales: quid ergo illis deesse potest quominus ad satisfaciendum valeat? Deinde sunt exempla manifesta in contritione, de qua supra qu. 86. dictum est, & de oratione, quae ab omnibus nominatur inter opera maxime ad satisfaciendum accommodata, non quidem propter solam vocem: sed potissimum propter mentis attentionem, in qua eius maxima difficultas, & perfectio consistit.

Dico secundo, opus etiam externum, quatenus ab interno aliquo modo procedit, valet ad satisfaciendum, ita ut vim satisfaciendi addat interiori. Ita Soto d. 19 qu. 2. art. 1. & ex sequentibus constabit esse communem Doctorum sententiam, & probatur: quia satisfactio fit per poenam voluntarie assumptam: sed in ipso actu externo est distincta poena ab interno, & voluntarie assumpta: ergo confirmatur, quia maior bonitas moralis, & formalis actus homini confert, ceteris paribus, ad maius meritum: ergo maior poena voluntaria confert ad satisfaciōnem maiorem ceteris paribus, quia, cum haec satisfactio fit per modum vindictae, & ultionis ipsius delinquentis, quo maior fuerit ultio, & poenitio, eo maior erit satisfactio, ceteris paribus: sed in actu externo coniuncto interno maior est poena, & ultio, quā in solo interno: ergo augetur satisfactio ratione externi actus, non solum quasi per accidens: quia actus interior fit intensior, efficacior, vel diuturnior, sed etiam per se: quia ipsamet poenalitas actus externi auget satisfaciōnem.

Ad fundamenta contrariae sententiae respondet Soto, quauis exterior actus non addat essentialē bonitatem interiori, addere tamen accidentalem: & ideo posse augere veluti accidentalem effectum qualis est satisfactio: quia ubi maior poena assumitur, maiori tolerantia opus est. Quo verbo insinuarē videtur, totum hoc esse positum in interni actus mutatione, quod non dicitur consequenter. Negatur ergo simpliciter consequentia: quia, licet actus exterior nō addat bonitatem, addit poenam, & hoc satis est ad satisfaciōnem, ut illā augeat. Dices, Ergo nostra satisfactio in hac vita est per modum satisfactiois, quandoquidem in ipsamet passione & qualis poenae consistit. Respondetur negando consequentiam, & proprie vtendo vocibus: nam in re ipsa verum est nos persolvere purgatorii poenam in hac vita per poenas, quas voluntarie sustinemus: tamen, quia haec poena non est eiusdem rationis cum poena purgatorii, nec physice equalis, sed moraliter, id est, secundum moralem valorem proportionale, ideo haec non dicitur satisfactio, sed satisfactio quāuis reuera includat passionem poenae sufficientis, & proportionatae ad compensandam purgatorii poenam. Ex fundamento huius resolutionis oriebatur alia questio, scilicet, quid ad remissionem poenae valeant opera externa, vel elemosinae, quae in legatis, seu testamentis fieri praecipitur, aut quae per ministros, seu famulos fiunt: ea enim rationes, qua opera externa ad satisfaciendum conferunt, videri possunt haec ad remissionē poenae iuuare, de hac vero re infra in Disput. de suffragiis dicendum est. Vide Sotum distinct. 45. questione 2. articl. 2. & 3. Paludanum quaestio prima.

PRIMA sententia est, quodlibet opus bonū, quod est, & quatenus est meritorium gratiae, & gloriae, esse per se & intrinsece satisfactorium, etiam si nihil omnino poenae afferre intelligatur. Ita Victoria in Summa n. 202. Soto d. 19 q. 2. art. 1. qui refert Scotū, & Gabr. (quorum alia est sententia, vt dicam.) Idem tenet Ledesma quaest. 14. art. 2. dub. 2. indicat Medina tractat. 3 q. 4. licet non satis se explicet. Ratio Soti est quia maius est mereri gratiam, & gloriam, quā satisfacere pro poena: Sed haec ratio parui momenti est, alias probaret, per quodlibet opus mereri nos bona temporalia, vel quidquid minus est gratia, & gloria: non ergo bene fit illatio, quia in his, quae sunt diuersarum rationum, nō quidquid potest id, quod maius est, potest etiam quod minus est. Responderi potest, remissionem temporalis poenae ordinari ad primum meritorium consequendum, & tollere impedimentum eius, ideoque non esse omnino diuersae rationis: sed ad illud reduci, quatenus ad illud ordinatur: ac propterea omne opus, quod valet ad meritum gloriae, valere etiam ad satisfaciōnem pro poena temporalī. Sed haec etiam illatio infirma est: quia aliud est augeri gloriam intensius, aliud vero accelerari consecutionem eius, seu tolli temporale impedimentum illius consequendae: opera ergo meritoria merentur augmentum gratiae, & gloriae, inde autem non fit, vt mereantur temporis accelerationem, vel temporalis impedimenti ablationem: nam haec diuersarum rationum sunt, neque vnum proprie ordinatur ad aliud: alias, quoties gratia augetur, & ius ad gloriam: etiam reatus poenae temporalis minueretur, quod falsum est, vt alibi latius dixi.

Secunda sententia est, satisfaciōnem solum fieri per opus poenale, quatenus poenale est. Ita D. Thom. distinct. 17. questione prima articulo quinto quaestio 1. ubi diserte dicit satisfaciōnem non fieri per opus bonum, nisi poenale sit. Idem Bonavent. 2. part. dist. art. 1. quaest. 7. ad 4. Richard. artic. 1. quaest. 2. Durand. qu. 5. Palud. quaest. 3. Maior. quaest. 2. dub. 2. A. lenf. 4. p. q. 84. alias 21. mem. 2. art. 2. Adr. q. vlt. de satisfaciōne, Syluest. verbo Satisfactio. q. 8. Vigner. ca. 26. §. 4. versic. 21. inclinatur Henric. quauis obscurissime quodl. 8. q. 18. Fundamentum est: quia & qualitas iustitiae postulat, vt culpa per poenam compensetur: quia, qui peccat, quantum in se est, illicitē priuat Deum bono suo, & ideo satisfacere debet priuando se aliquo commodo delectabili, aut vtili, in quo poena consistit.

Tertia sententia referri potest Scoti distinct. 15. qu. 1. §. De tertio dico, & Gabr. d. 16. qu. 2. art. 1. notab. 1. qui dicunt satisfaciōnem regulariter solū fieri per opera poenalia, verisimile tamen esse Deum etiam aliquid poenae remittere propter aliquod perfectum opus charitatis, vel aliud simile, quod magis illa placet, quam ipsa poenitio.

Aduertendum est, aliud esse quaerere, an omne opus bonū satisfactoriū sit quasi materialiter: quia semper est etiam poenale: aliud vero est formaliter inuestigare, an vim satisfaciendi habeat ex ipsa poena: ita, vt illa ablata, tollatur valor ad satisfaciendum etiam si adsint cetera. Considerandum etiam est, aliud esse quaerere, an remissio poenae in hac vita comparari possit solum per modum satisfactiois, quae proprie esse intelligitur, quando vna poena per alteram compensatur, quod nunc proprie agimus: aliud vero est quaerere, an non tantum hoc modo, sed etiam per modum meriti possimus hanc remissio-

Prima conclusio.

Conclusio secunda.

Distinctione fundamenta contraria sententia.

Obiectio.

Solutio.

Palud. Soto.

Prima sententia. Sufficiens quoduis opus bonum licet non poenale. Victoria Soto.

Ledesma. Medina. Ratio Soti reuocatur.

Euasio.

Respondetur.

Secunda sententia satisfactio nem fieri per opus poenale. D. Tho. Bonan. Richard. Dur.

Palud. Maior. Alenf. Adrian. Syluester. Vigner. Henric.

Tertia sententia. Scot. Gabr.

4

remissio.

remissionem poenae obtinere. De quo commodius A dicemus sect. 9.

Prima Assertio.

Dico ergo primo, opus humanum, & honestum proprie satisfactoriu est, quatenus aliquo modo est poenale. Hec est D. Thom. & aliorum, quos citavi in secunda opinione, & probatur primo ex communi modo loquendi sacrae Scripturae, & Sanctorum, ubi cunq; enim exhortantur homines ad satisfaciendum pro peccatis: opera poenalia proponunt, Joel. 2. In ieiunio, fletu, &c. Matth. 11. In cilicio, & cinere poenitentiam egissent: & alia, quae supra sect. 1. huius disp. citata sunt, & plura superius cum de actu externo virtutis poenitentiae ageremus. Secundo ratione D. Thom. quae variis modis explicatur. Primo: quia satisfactio est actus iustitiae, quo poenitens vindicat, & punit in se diuinam iniuriam: sed vindicta proprie fit per poenam, vnde in purgatorio, licet animae optimos actus habeant, purgantur tamen, & puniuntur poena. Secundo: quia illa poena purgatorii compensatur satisfactioe huius vitae iuxta diuinam ordinationem, sed optima ratio, quid dicitur postulat, vt poena per poenam compensetur. Tertio: quia satisfactio etiam ordinata est ad correctionem hominis, vt illum a peccato contineat: sed hoc optime, & accommodatissime fit per poenam. Quarto: quia non inde habet opus, quod sit satisfactorium, vnde habet, quod sit meritorium, meritum enim per se conuenit actui, quatenus est laudabilis, & bonus: quia non respicit alterum, vt offensus est, sed praemiantem, quem facit sibi debitorem is, qui meretur, per opus bonum, vt tale est: at satisfactio respicit personam offensam, & fit per modum vindictae ad perfoluendam poenam debitam, & ideo fit per actum, vt poenalis est, vnde fieri potest, vt idem actus magis meritorius sit, minus vero satisfactorius.

Hinc etiam fit, vt actus exterior per se augeat satisfactionem, licet per se non augeat meritum. Et hinc etiam obiter intelligitur dubium, quod Medius supra tractat, quomodo scilicet, idem actus, cum finiti valoris sit simul possit esse meritorius, & satisfactorius, ita vt nec meritum satisfactionem minuat, nec satisfactio meritum. Et ratio dubij est: quia actus finitus ad plures effectus ordinatus, videtur esse minus efficax ad singulos. In contrarium vero est: quia, si satisfactio minueret effectum gratiae, & gloriae, non esset commodum pro poena temporali satisfacere, melius enim esset maiorem gratiam, & aeternam gloriam comparare: Deinde: quia ipsummet satisfactio est meritorium, cum sit bonum, & Deo gratum. Respondetur ergo haec duo non se impedire, quo minus per eandem actum fiant, quia ex diuersis principijs, seu conditionibus ipsius actus procedunt: sicut enim idem actus potest esse poenalis, & bonus, ita etiam potest esse meritorius & satisfactorius, habet enim actus quasi moralem valorem distinctum ad hos diuersos effectus.

Secunda Assertio.

Dico secundo, Satisfactionem semper requirere, seu habere coniunctum aliquod meritum. Ita D. Thom. in 4. dist. 17. quaest. 2. artic. 4. quaest. iunc. 3. ad 3. & patet ex dictis: quia satisfactio requirit actum bonum, liberum, & aliquo modo a gratia manantem, sed talis est meritorius: ergo saltem concomitantem habet satisfactio coniunctum aliquod meritum. Aduertendum vero est (quia diximus actionem externam posse interdum augere satisfactionem) accidere posse, vt externa actio fiat ex vi praecedentis voluntatis, licet actus interior non duret, & tunc potest durare satisfactio, licet non duret actuale me-

ritum, necessarium tamen est, vt talis satisfactio procedat aliquo modo ex voluntate meritoria, & sic intelligenda est haec conclusio. Exemplum facile esse potest in elemosyna, quae fit per famulum, vel per legatum.

Assertio tertia, omne opus bonum & meritorium simul esse & satisfactorium.

Dico tertio, probabile est omne opus bonum, & meritorium simul esse satisfactorium. Ita fere explicat sententiam suam Victoria supra, & fortasse Soto hoc praecipue intendit, quod bene etiam sentit Caietanus tomo primo Opusc. tractat. 6. quaestione prima maxime in solutione ad 3. Nauarr. in Summa cap. 26. Et probatur, quia omne opus bonum, quatenus homini laboriosum est, aliquo modo est poenale, & corpori, ac sensui repugnans. Confirmatur, quia omni actui vitij respondet aliqua poena sensus, quatenus aliquo modo delectabilis est, sed omnis actus virtutis est contrarius alicui actui vitij, & reprimat concupiscentiam, & priuat illius delectatione: ergo respondet illi aliqua satisfactio. Nec refert, quod in homine bene affecto paruum, vel nullam poenam interdum ingerat, quia diminutio poenae ex promptitudine voluntatis satisfactionem non minuit, sed ratio, & natura ipsius actus per se consideranda est, vt Diuus Thomas, & alij Doctores notantur.

Sed contra: nam Diuus Thomas 4. d. 15. q. 1. art. 4. dicit, ad meritum considerari difficultatem actus, ad satisfactionem vero poenalitatem: ergo non habet actus virtutis eam difficultatem quod satisfactorius sit, sed meritorius. Respondetur, difficultatem obiectiuam, de qua est ibi sermo dupliciter considerari posse: vno modo quatenus confert ad bonitatem actus, & sic pertinet ad meritum: alio modo, vt infert laborem, & poenam operanti, & sic confert ad satisfactionem. Vnde haec duo quodammodo mutuo se iuuant, & includunt, bonitas, & poena: quia ipsa voluntas sustinendi poenam propter Deum meritoria est, & e contrario bona voluntas necessaria etiam est, vt actus sit satisfactorius. Quauis enim actus veluti formaliter habeat rationem satisfaciendi ex poenaltate, illa tamen poenaltas potest esse obiectiuam merito, seu voluntatis meritoriae, & e contra quauis actus bonus formaliter sit meritorius, est tamen quasi principium constituens ipsam poenam in esse morali, vt possit habere rationem satisfactionis. Et hinc etiam fieri potest, vt, ceteris paribus, actus melior magis possit conferre ad satisfactionem, in quantum poena voluntaria per talem actum est moraliter maioris valoris, & dignitatis: sic etiam poena magis voluntaria, est magis satisfactiua, & similiter, quae est a digniori persona, vel quae habet alias circumstantias morales meliores: quanquam enim satisfactio fiat per poenam, non est tamen solum illa physice consideranda, sed moraliter. Et hinc etiam intelligitur, quomodo actus charitatis sit satisfactorius, non solum quia melior, sed etiam quia difficilior, & quasi virtute continens, & complectens aliarum virtutum laborem. Et similiter intelligitur quo modo contritio sit actus satisfactorius, quia est valde difficilis, & poenalis: & quidem, si sermo sit de contritione, quae fit ab homine iustificato, non est difficultas: quid vero de prima contritione dicendum sit supra in quaest. 86. diximus. Quae circa quauis satisfactio, de qua nunc agimus, a contritione distinguatur, tamen quoad effectum, ipsa etiam contritio est satisfactio quaedam, quamuis haec duo in eodem actu facile possint ratione distingui.

Quomodo omnis satisfactio ad ieiunium, elemosynam, & orationem reducatur.

Sed

Opus honestum poenale proprie satisfactorium esse.

Joel 2. Mat. 11.

Dubium Quomodo idem actus finitus meritorius sit satisfactorius.

Ed dices, Si omnis actus virtutis satisfactorius est, cur à Theologis, supra citatis tres tantum actus satisfactorij numerantur, oratio, elemosyna, ieiunium? Respondetur, certum esse non ita numerari hæc tria opera in rigore ac proprie sumpta, quin aliis etiam satisfacere possimus, vnde Concilium Tridentinum sess. 14. ca. 13. leuitis, inquit, orationibus, & elemosynis vel aliis pietatis operibus nos posse satisfacere. Duobus ergo modis possunt hæc tria opera explicari, primo proprie, vt significant tres speciales actus virtutis, & si hoc modo intelligantur non ideo illis tribuitur satisfactio, quia illis solis exhiberi possit, sed quasi per anonomasiam, quia sunt opera aptissima ad satisfactionem, sunt enim poenalia, & facile veniunt in vsum hominum. Secundo, vt virtute continent cætera opera satisfactoria, primo quidem quia complectuntur bona omnia quæ homo potest offerre in satisfactioe, scilicet bona externa & fortunæ per elemosynâ, per ieiunium vero bona corporis, bona vero spiritus per orationem & eleuationem mentis in Deum. Vel aliter, quia satisfactio fit per poenam, quæ in alienius boni priuatione consistit, per elemosynam autem priuatur quis bono vili corpori, per ieiunium bono delectabili, priuari autem bono honesto, cum bonum non sit: non potest habere rationem poenæ voluntarie assumptæ, sed potius illud acquirere bonum est, & quatenus est poenale potest esse satisfactorium, & hoc bonum maxime per orationem acquiritur, ideo inter actiones satisfactorias merito numeratur. Vel denique sicut homo peccando, & seipsum lædit, & Deum offendit, & proximum, ita recte satisfacit per ieiunium, quo se castigat, & elemosynâ, qua subuenit proximo, & orationem, qua Deum honorat. Tandem si hæc opera poenitentia considerentur, vt medicina in futurum præferuans, per hæc tria moderatur homo tres radices peccatorum, per elemosynam concupiscentiam oculorum, seu rerum exteriarum, per ieiunium concupiscentiam carnis, per orationem, qua se Deo submittit, superbiam vitæ. Alia de hac diuisione dicta sunt supra disputando de actu exteriori Poenitentia.

Vltimo ex dictis intelligitur, an per quodlibet opus poenale possit pro quolibet peccato satisfieri: an vero distincta peccata distinctam satisfactioe exigant. Dicendum est enim, si satisfactio consideretur, vt medicina præferuans, & curans, & expellens vitia, hoc modo diuersam satisfactioe diuersa peccata exigere: quia contraria vitia contrariis virtutibus expelli debent, quantum quædam sint remedia omnibus communia, vt sunt oratio, amor, vel timor, & in vniuersum omnia opera, quæ ad impetrandam diuinam gratiam ordinantur. Ac proprie loquedo de satisfactioe, vt est poenæ solutio, quodlibet opus poenale aptum est ad satisfaciendū pro poena cuiuslibet peccato debita, non quod in quantitate semper sit æquale, sæpe enim peccatum maiorem poenam meretur, quam per vnum, vel alium actum virtutis persoluitur, sed quod qualibet species poenæ sufficiat, & consequenter quod multiplicando actus possit tota poena cuiusq; peccati compensari. Ratio est, quia Deus non distribuit, nec designauit quosdam actus ad satisfaciendū pro quibusdam peccatis, & alios pro aliis, sed generatim exigit pro peccatis, virtutis, ac satisfactiois opera. Itē quia per hæc satisfactioe potissimum inenditur diuinus honor, & bonum anime ipsius peccatoris, vtrumq; autem comparatur per quamlibet honestam poenam. Deniq; quia, sicut eadem contributio possunt omnes culpæ deleri, ita eadem honesta poena potest pro quolibet peccato satisfieri. Nec refert, quod in purgatorio diuersis peccatis diuersæ poenæ fortasse respondeant, quia ibi fit solutio per modum satisfactiois, & ideo redditur omnino illa poena, quæ peccato assignata est, & accommodata: hic autem per

modum satisfactiois, & velut redemptionis, & ideo redimi potest precijs, veita dicam, seu poenis, quæ licet in se diuersarum rationum sint, valorem tamen habent ad persoluendam, seu redimendam illam poenam.

SECTIO VII.

Vtrum per passiones, seu poenas, quas quis necessario patitur, possit Deo satisfacere.

Concilium Tridentinum sess. 14. c. 9. sic definit, Docet præterea tantam esse diuine misericordie largitatem, vt non solum poenis sponte à nobis pro vindicando peccato suscipi, sed etiam spiritalibus flagellis à Deo infligi, & à nobis patienter tolerari apud Deum Patrem per Christum satis facere valeamus. Vnde fit simpliciter de fide esse, nos posse satisfacere per hæc flagella: modus autem sub opinione est.

Prima opinio dicit, posse nos per ea satisfacere, si tamen mereri ea patienter, & voluntarie acceptando, ita tamen vt tota satisfactio fit in voluntate interiori, quæ hæc acceptantur, & exterior poenam nihil satisfactiois addat: vnde si duo ita se habeant, vt alter id patitur, & bona voluntate illa acceptet, alter vero æquali omnino voluntate illa amet, vel desideret, nihil tamen patitur, iuxta sententiam hanc, nihil magis vnus quam alter satisfacit. Hoc asserit Richard. dist. 11. artic. 1. quæst. 4. Gabr. 16. quæst. 2. ar. 3. dub. 1. Fundamentum illorum est, quia satisfactio debet fieri per aliquam actionem humanam elicita, vel imperata: hæc autem flagella, quæ non sunt in nostra potestate, sunt passiones, non vero actiones nostræ, vnde ista flagella solum sunt voluntaria, vt obiecta nostræ voluntatis, non vero vt actus.

Secunda sententia est, in his flagellis duo posse considerari scilicet, internam patientiam & patientiam externam: per priorem remitti poenas tanquam per satisfactioem propriam, per posteriorem vero id est, per ista flagella secundum se remitti, seu solui poenam purgatorij, non per modum satisfactiois, sed per modum vindictæ, & punitionis ab ipso iudice Deo inflata, quæ hæc ratione satisfactiois dici possunt. Hanc sententiam tuetur Medin. tractatu tertio, quæstione quinta in fine primi dubij. Vnde, vt hæc poena cadat in solutum (ita enim ipse supra loquitur) non videtur requirere hic auctor aliquem internum voluntatis actum, seu liberam cooperationem aliquam patientia, sed solum vt quis exteriorius etiam inuitus, patitur: quia de ratione poenæ indicatur à iudice inflata non est actio, sed passio.

Tertia opinio distinctione vitur, duplex enim potest esse huiusmodi poena, prima proueniens ex causis generalibus, naturalibus, aut liberis, absque speciali vltione diuina, & ægritudines, bella, & famines, & in vniuersum, quidquid ab hominibus patimur, siue iuste vt à iudice, siue iniuste ab inimico, &c. Secunda specialis imposita à Deo in poenam peccati, vt mors filij Dauid, &c. Prior non habet rationem satisfactiois, cum non sit actio humana patientis, hæc satisfactiois, cum non sit à iudice inflata per modum vindictæ, vt ita non remittit poenam, nisi ratione actus interni, vt prima opinio dicebat: posterior autem, licet proprie satisfactio non sit, remittit tamen poenam per modum iustæ vltionis. Ita docet Soto distinctione decimanona, quæstione secunda, articulo secundo, qui consequenter infert hanc passionem remittere poenam, etiam sine actu libero patientis, dummodo ille in gratia sit. Quinimo addit, licet resistat, & inuoluntari ac impatiēter flagellum suscipiat, dummodo in eo non

Andr. quodlibet opus poenale possit satisfieri pro quolibet peccato.

Trident.

Prim. opin.

Rich. Gabr.

Secunda opin.

Medin.

Tertia opin.

Soto.

non